



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Dubium I. An & quomodò unio distinguatur ab extremis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

Substantiarum productivarum, & unionum earundem unitivarum, quam quantitatis, quam Adversarii, etiam ipse Pater Oviedus, communiter faciunt rem. Vnde fit

RESOLUTIO.

xxxI. **D**ico: primæ qualitates non sunt modi; & pleræque actiones non magis sunt modi, quam primæ qualitates.

Prima pars est omnium communiter.

xxxII. Probatur 2^a. pars, quia variæ actiones, ut creationes animarum rationalium, actus vitales, &c. non sunt duorum extremorum realiter distinctorum unio; ergo, &c.

xxxIII. Obijcies contra primam partem Resolutionis: accidentia omnia, & formæ omnes substantiales sunt determinato subiecto essentialiter affixæ, haud secus, quam earum uniones; ut quid enim uniones illas sine necessitate multiplicare? ergo, &c. ita ferè P. Comptonus Physicæ Disputatione 14^a. post quosdam ingeniosos Recentiores, quorum sententia, inquit, omnium minime displicet, & meo iudicio propius abest à veritate.

xxxIV. Respondeo Principium illud uniones five entia non sunt sine necessitate multiplicanda, satis infirmari per hoc illi oppositum, entia non sunt determinatis subiectis essentialiter alliganda sine necessitate & positivo fundamento, quod hic non datur: vel etiam, non sunt multiplicande perfectiones sine necessitate, quod fieret dando formis perfectionem uniendi seipsas; imò non satis apparet, quomodo staret animæ rationalis immortalitas cum morte hominis, si omnes formæ essentialiter determinato subiecto alligentur; unde si anima rationalis uniri debeat per unionem realiter à se distinctam, quidni & aliæ quamplurimæ formæ accidentales & substantiales? de unione autem alia est ratio, quia, utpote duorum extremorum unio, est modus. Denique sic consequenter ad vitandam multiplicationem actionum, oporteret quemlibet effectum, causæ determinatæ essentialiter alligare, quod non ita conveniens videtur, cum inde sequatur Deum nullum ens per se posse, aut potuisse producere, eorum, quæ cum causis secundis producit: neque id in ipsas actiones retorqueri potest; quia, vel sunt generationes, five formarum eductiones, vel non? si primum, sunt modi, five uniones, ut statim dicitur; illæ autem fiunt seipsis, ut supra vidimus: si secundum, à Deo solo sunt in conservari, vel potius, sic conservantur, ut pereuntibus causis creatis, Deo solo causâ conservante existente, conserventur, ut infra dicitur.

D V B I U M I.

An & quomodo unio distinguatur ab extremis.

Nte Resolutionem

xxxv. **A** Suppono 1^o. ad compositum requiri unionem; quia multa non possunt fieri unum aliter, quam per unionem mediam, ut per se patet.

xxxvi. Suppono 2^o. Dubium procedere de unionem inter materiam & formam substantialem, five spiritualementem, five materialem, circa quam tanta est controversia, ut Pater Comptonus hic dicat, nulla ergo in te, in his octo libris, est, vel major sen-

tentiarum diversitas, vel acrior disceptatio, et mirum sit unionem tantum peperisse discordia.

RESOLUTIO I.

xxxvII. **D**ico 1^o. videtur omnino certum unionem realiter distinguui ab extremis nudè sumptis: puto hanc esse ferè omnium, paucis è Recentioribus exceptis.

xxxvIII. Probatur, quæ realiter separantur ab extremis, realiter distinguuntur ab illis; sed unio est talis, ergo, &c. major patet: minor probatur in homine; quia quando homo mortuus est, sunt ejus partes, five corpus & anima, nec tamen est unio inter illa; alioqui esset homo vivens, cum ad hominem viventem nihil præter corpus, animam & unionem requiratur, ergo, &c.

xxxIX. Confirmatur, si unio non distinguere realiter ab extremis nudè sumptis, non possent existere corpus & anima, quin dicerentur, & essent unita: atqui hoc est falsum, ut patet, casu quo corpus Mechinæ ponatur, & anima Romæ, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

xl. **D**ico 2^o. unio non est sola relatio animæ ad formam.

xlI. Probatur, quia vel esset relatio fundamentalis indistincta realiter ab extremis? & hoc non, ut patet ex prima Resolutione: vel realiter distincta ab illis, & consistens in actione? & de illa dubio sequenti agemus: vel relatio formalis? & hoc etiam non, quia, ut constat ex dictis in Logica, illa est omnino extrinseca extremis, illisque non existentibus existens, utpote conceptus; unio verò esse debet illis intrinseca, nec etiam Divinitus, illis non existentibus, existere potest, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xlII. **D**ico 3^o. unio non est sola existentia utriusque extremi cum connotato indistantiæ, five summæ præsentia localis & dispositionum, ita PP. nostri Complutenses hic Disp. 6. q. 2. post alios Recentiores contra Ochamum in 1^{um} dist. 30. q. 1. Gregor. in 1^{um} dist. 28. q. 2^a. Aureolum in 4. dist. 44. & alios Nominales communiter, quos sequi videntur, Cajet. 3. p. q. 2. art. 2^o. Medina, Fonseca, Valentia, Conimb. &c.

xlIII. Probatur 1^o. de indistantia, quia si sufficeret indistantia, five summa præsentia, anima Christi penetrans corpus Divæ Virginis, materiam sepulchri, januas clausas, &c. fuisset eis substantialiter unita, imò & divinitas ac tota Sanctissima Trinitas esset unita, & assumpsisset omnes totius mundi creaturas, haud minus quam humanitatem, quod nemo dixerit, ergo, &c.

xlIV. Nec dicas, ad hoc ut anima Christi illis uniatur requiri insuper absentiam alterius formæ substantialis; nam sic, saltem pervadens quodlibet cadaver naturaliter, vel miraculosè, sine forma substantiali conservatum, fuisset ei unita, sicut illud ita conservatum, naturaliter pervadere potuit, quod est tam absurdum ac sit resurrectio naturalis, quæ inde sequeretur.

xlV. Confirmatur, vel illa indistantia est formalis unio, vel conditio ad hoc ut materia & forma uniantur seipsis? non primum, quia alioqui, qui hominem moveret, produceret & corrumpere hominem, sicut produceret & corrumpere in-

ter partes ejus unionem, id est, indistantiam, sive partium ubi ad se, quod est ridiculum: neque etiam secundum; quia alioqui deberet esse conditio ad hoc, ut existeret materia & forma; nam hoc dato materiam & formam esse formaliter unitas, nihil est realiter distinctum ab existentia materiae & formae; indistantia verò non est conditio ad hoc, ut existant materia & forma; siquidem naturaliter, vel saltem divinitus, possunt separatiim localiter existere, ergo, &c.

XLVI. Probatur 20. de dispositionibus: si anima aliqua praesertim aliena pervaderet cadaver retinens adhuc suas dispositiones, puta pro instanti quo corpus esset jugulatum, vel violento ictu necatum, non propterea statim illud animaret, ergo, &c. Probatur antecedens; quia alioqui resurrectio esset naturalis; imò si daemon, aut anima damnata divitis epulonis penetraret animam iusti salvati, sequeretur, hujus gratiam, & beatitudinem illi uniri, & justificari ac beari; quod à Theologis non admittitur.

XLVII. Confirmatur: eo instanti, quo Deus creat animam informaturam foetum, anima Atavi pervadat foetum, illi uniatur, vel non? non primum, quia casu quo foetus ille esset ex materia anthropophagi, jam resurrectio fieret naturaliter, etiam si ad resurrectionem requires ut redeat eadem numero substantia, quod fieret: non etiam secundum, quia si illi non uniretur, neque etiam dispositionibus praecise positis illi uniretur anima, quam Deus crearet; quia eadem est indistantia & dispositiones ad utramque, in quibus dicis formaliter consistere unionem.

XLVIII. Adde unionem facere unum per se; illas verò dispositiones non nisi unum aggregatum per accidens.

XLIX. Nec dicas^o. unionem non consistere formaliter in illis dispositionibus, sed hanc esse tantum conditionem sine qua non ad unionem formalem materiae & formae seipsis; nam id in confirmatione supra num. 45. rejectum est.

L. Nec dicas secundò, requiri ut Deus producat, & conservet formam propter tales dispositiones, quod non contingeret in tali anima; ne id dicas inquam; nam si Deus primo instanti eam indistantem conservet propter alium finem, & secundo propter istas dispositiones, illa anima non erit intrinsecè mutata, ergo nec magis unita in secundo, quam in primo instanti; non enim potest transiri à contradictorio intrinsecò, ad contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca: in idem recidunt, illi qui dicunt, quòd Deus nollit eam primo instanti uniri: quæro enim ab illis, an si tantum vellet, & nihil novi produceret, ea uniretur? certum est quòd non, quia voluntas divina planè est extrinseca animæ, unio verò intrinseca; unde sicut paries non esset albus, si Deus nihil ad extra producendo, tantum vellet illum esse album, ita nec isto casu anima esset unita; nam sicut ad esse album requiritur albedo formalis, ita ad esse unitum, unio formalis requiritur.

RESOLUTIO IV.

LI. Dico 4^o. neque etiam unio est indistantia, dispositiones & certa proportio, sive respectus intrinsecus hujus formae ad hanc materiam in individuo.

Probatur, quia talis proportio & respectus intrinsecus omnino gratis, & sine necessitate fingitur: eademque est (ut fatebuntur omnes) anima hominis senis, ac juvenis; habet tamen alias, & alias partes materiae, ratione caloris naturalis aliquas semper exedentis, & nutritionis alias restituentis, ergo unio non est, &c. respectus intrinsecus ad hanc materiam in individuo.

LII. Nec dici potest, animam tantum dicere ordinem intrinsecum ad partes materiae primigenias, quæ toto tempore vitæ (ut probabiliter docent medici) eadem manent: quia infero, ergo partes materiae alimentitiæ in fene, vel non sunt unitæ, quòd est contra experientiam, vel sunt unitæ per unionem realiter distinctam, ac proinde corpus est unitum animæ aliter, atque aliter, secundum diversas sui partes, quòd sine fundamento dicitur: deinde partes meæ primigeniæ in parentibus potuerunt mutari, utpote ipsorum alimentitiæ, quidni & in me? denique demus materiam meam primigeniam esse aliam ob comestionem nucis, quam parentes facere potuerunt, & non fecerunt, sequitur me esse alium substantialiter quoad animam, quam alioqui essem, quòd est ridiculum.

RESOLUTIO V.

LIII. Dico 5^o. præter ea, ad unionem formalem requiritur aliqua entitas realiter ab omnibus enumeratis distincta, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi. Ita Scotistæ post Scotum in 2^{um} dist. 3. q. 4^a, & Thomistæ post D. Thom. 1^a. p. q. 76. art. 1^o. ad 6^{um}, quem sequuntur nostri Compl. Bannez, Cabrera, Herrera, Arauxo: è PP. verò Societatis Suarez, Valquez, Tannerus, Hurtadus, Arriaga, Oviedus contra varios Nominales (excepto tamen Ockamo in 3. q. 1^a. ubi concedit unionem à verbo & humanitate realiter distinctam:) item è Thomistis contra Cajet. 3. p. q. 2^a. art. 7^o. Medinam: è Societate verò Fonseca 7. Metaph. cap. ult. Valent. Conimb. &c.

LIV. Probatur, quia ad unionem formalem materiae & formae, non sufficit existentia materiae & formae simul cum connotatis allatis, & adferendis, præter entitatem, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi, ergo, &c. consequentia est legitima, & antecedens patet ex conclusionibus præmissis.

LV. Dixi entitas, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi; quia omnis alia determinatio, utpote indifferens ad uniri & non uniri, deberet per aliud secundum uniri, & illud secundum per tertium, donec tandem ad unam immediatam, & actualem determinationem uniendi deveniretur, in qua sola potest consistere formalis unio, & ad quam præviè sine sufficienti ratione multiplicarentur entia. An & quomodo dicta unio sit substantialis, patet ex præmissis Disputatione 4^a. Dubio 4^o. Resolutione 5^a.

D V B I V M II.

Qualis sit unio inter corpus & animam rationalem.

LVI. D Vbi um esse potest, an dicta unio sit modus quidam substantialis, ad quem terminetur